

118 565

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis 17. Novembris.

M. PHILIPPO MATHON, Doctore Medico, Præside.

An intermittenti Tertianæ contumaci Balneum?

I.

FEBRIS ut morborum omnium frequentissimus, ita & maximè periculosus: cordi quippe assiduo vitæ custodi bellum præsertim indicit, cui cæteri vix unquam aut rarò admodum infensi sunt: Igneus calor cum vitali exitiosa hæc viventibus odia & graves exercet inimicitias, licèt ab eo non specie, sed solo nocendi animo sit alienus; imprimis verò ubi se huic bello accinxit, arcem nativi caloris ita oppugnat, ut incendia statim minitetur, adeo sanguine & spiritibus accensis flammas per latentes ductus in universum corpus humidi benignioris populatrices spargit, ut functionum omnium ministeria turbari, cætera symptomatum mala creari, corporis οὐλωμελίαν labascere, ac naturam tandem obrui aut fatiscere videas. Alium porrò febris authorem à calore extraneo ne quæsieris, Epialas iste, Lipyrias, Syncopales, horrificasque inducit, in quibus ægrotantes assiduo frigore torpent, aut concutiuntur rigore: usque eò pervicacem illum natura hostem experitur, ut vel in dedititiam sæviat, dum nec eos adhuc dimiserit, qui frigidum cum animâ spiritum exhalant. Non uniusmodi autem est mala caloris istius indoles, sed ut quæque diversa est corporis cui inhæsit ratio, aliàs Ephemeram parit, si nempe spiritus flamman-

tur, eodem quo primùm exarsit die extinguendam : aliàs putridam, ubi fœdum hoc humores vitium contraxerunt, ignem diutiùs in materiâ crassiore servaturam : aliquando etiam hecticam invehit, vix nisi deficiente pabulo, quod ipsissima est solidarum partium substantia, desituram : Nec mireris nativum ipsum calorem implacabiles velut in iras exardescentem ipsi naturę infensum reddi, immò, ut sunt iræ fratrum acerbiores, scito eò ferociorem febris naturam induere, quo vegetior ille cuique nascenti obtigerit.

I I.

NIHIL in rerum ortu & interitu putredine frequentius, occultius nihil, nec in explorandâ febrium naturâ, tentandâ curatione perito medendi artifici quidquam utilius : Naturalem nonnulli, ægrorum propriam alij agnoscunt; illa ab interno rei cujusque principio manare creditur, ut marcor in plantis, senectus in animalibus, hanc externa atque insalubris causa procreat : Hujus veram aptiùs ideam expresseris, si mutationem totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam à calido externo, quam si corruptionem caloris nativi esse dixeris; quæ putrescunt primùm calida, deinde humida, postmodum frigida, ultimò tandem sicca percipiuntur, dum in terram, quæ ultimus putrefactionis terminus est, abeunt. Immediatam ac magis frequentem putrescentium humorum causam aliam à transpiratione prohibita ne quæras, & eam puta nedum viventibus adversam, imò ipsis etiam inanimatis lapidibus nimirum ac metallis valde infensam. Quòd si serpat in humores putredinis vitium, febres accenduntur pro diversâ illorum conditione foci fomitisque varietate diversæ. Qui fervent in majoribus vasis succi prout assiduo corruptorum humorum appulsu vicinam sibi vitę arcem impetunt, continuarum febrium causæ censentur, sicut qui in exilibus remotisque à corde alveolis putrent ob longioris viæ intercapedinem recurrentemque ex intervallis novam ζύμωσιν interpolatas pariunt.

I I I.

INTERMITTENTIUM febrium prout manifestas laboranti naturæ inducias præbent discrimina, aliunde non repetimus, quam à corruptorum humorum partes commemoratas obsidentium varietate, hinc quotidianæ à pituitâ, tertianæ à bile, à melancholia quartanę ortum ducunt; singulę quidem legitimę dum sincerus putrescit humor, cui si alius societur, spuriam infert;

breviores alię, si humoris à quo procreantur natura ferat, ut tardiores nonnullæ; si certo quodam ordine desinunt & redeunt, typicę, sin minùs, erraticæ perhibentur; simplices quę unicum focum agnoscunt, ut pro illius numero duplices triplicesque evadunt: at cæteras inter tertianę ut securiores, ita & plerumque reliquis habentur breviores, nam si exquisitæ fuerint, septem utplurimùm circuitibus terminentur, nisi morbum efficientis humoris copia, ejusdem crassities, & in penitiori corpore immersi collectio obsistat quominùs expugnari possint. Verùm id potissimùm efficere consuevit prava principis cujusdam visceris vel saltem alicui officio præpositæ partis diathesis, ut intemperies præfervida, quę putrido miasmate optimum quodque alimentum adurit aut corrumpit, febremque pervicacem ac diuturniorem reddit.

I V.

INTERMITTENTIBUS tertianis qui rectè mederi voluerit, duplicem sibi scopum constituat necesse est: nam humorum excrementitiorum non modò coërcere putredinem & illius vacuare materiam, sed & internorum temperare viscerum incendium debet; utrumque commodè præstabit phlebotomia & purgatio, illâ quidem diffusam per universum corpus causam eam quę incendium fovet, minuente, hac verò à partibus ipsis in quibus seu focis ignis etiamnum viget materiam subducente, modò nullus in victus ratione error committatur: & quamvis magna sit apud prudentem Medicum ad hujusmodi febrium curationem vis præsidiorum ejuscemodi, hanc tamen non desunt qui spernant ac vituperent, quia rectum utendi modum ignorant; jactitent per inane licèt pulveres suos puriori Medicinæ tenebras facturi ciniflones, & singulares prædicent suorum remediorum vires: auscultaverit qui volet imperitæ plebi dum asserit periaptis, illigatis nempe collo manibusve amuletis strangulatos morbos aut injectas febribus compedes; consultiùs sanè & ad ægrotantium utilitatem opportuniùs se geret, qui persuasum habebit frustrà vehementiora usurpari præsidia, quoties præsto sunt mitiora, neque ulli esse fidendum curationi quę ἀκείπως contingere solet; nam si tanta sit febris contumacia, ut nullo laudatorum auxiliorum successu, nonnullo ægrotantium dispendio, nec sine Medicorum opprobrio cœci febrium ignes diutiùs alantur, balneo statim erit immergenda.

509

V.

QVI in expugnandâ febrium contumaciâ balneo utitur, tutò, citò, & jucundè curat, non algido quidem ne cutis spiracula nimirùm occludat, non præcalido, sulphureo, aut nitroso, ne plus æquo laxatis meatibus in suam perniciem perenni difflatione, ut semper, tunc verò maximè ruenti calori nativo patefaciat aditum vel humores adurat, sed potabili ex aqua blando debet id calore tepescere; domesticum fluviali præstat, nam solis æstus ad attemperationem aquæ aut parum efficax aut nimis inæqualis. Paratum hac arte balneum bene valentibus appetitionem ciborum imminutam restituit, sitim extinguit, fessa labore membra levat; in causariis verò dum tenui quo pollet vapore intima corporis pervadit, copiosam excrementitiorum humorum illuviem in alvum deturbat, & ad exclusionem aptiorem reddit, densa præter modum solidaque emollit corpora, crassa attenuat, rigida laxat, obstructiones reserat, acria lenit, aridas humectat partes, præfervidam viscerum intemperiem domat, hinc nephriticis, ischuria ab inflammatione laborantibus, colico dolore vexatis, volvulo correptis, ictero, psora, aut vitiligine defœdatis, diuturnis denique febribus præsentaneum est certissimumque remedium. Cave tamen putes quocumque tertianæ intermittentis tempore salutiferum esse, initio quippe ubi summa viget humorum putrescentium cruditas, solertis est naturæ ministri ab eo abstinere, ut provecto morbo intermissionis tempore micantibus coctionis signis illud in usum revocare.

Ergo intermittenti Tertianæ contumaci Balneum.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ludouicus Morin.	*M. Robertus Patin, Professor Reg.*	*M. Nicolaus Cappon.*
M. Petrus Lombard.	*M, Michaël de la Vigne.*	*M. Nicolaus Richard.*
M. Philippus Mathon, Præses.	*M. Petrus Perreau.*	*M. Petrus le Mercier.*

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS BIENDISANT, Aquensis, A. R. S. H. M. DC. LXVII.

Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illustriss. Archiepiscopi Paris. Typographi.